

HOMILIA IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

(Ex ms. Corbeiensi annorum circiter 800, apud Martene Ampliss. Coll., t. IX.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Incipit homilia Auberti presbyteri de lectione evangelica secundum Matthæum, qua Dominus in monte coram tribus discipulis transfiguratus perhibetur.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem, etc. (Matth. xvi, 28). Integrum refertur Transfigurationis evangelium.

Explicit lectio evangelii secundum Matthæum.

Incipit homilia ejusdem lectionis habita ad monachos in monasterio S. Vincentii.

1. Solet nonnunquam evenire, imo pene semper evenit ut in domibus regum ac principum vasa aurea vel argentea quilibet et vilis emundet atque despectus. Quid autem sunt corda electorum in sancta Ecclesia quam quædam, ut ita dixerim, vasa regalia, Paulo attestante, qui ait: *In domo magna non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam* (Rom. ix, 21). Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino ad omne opus bonum paratum. Vos igitur, fratres charissimi, vos estis vasa regis æterni, qui sacræ religionis cultu velut pretioso metallo fulgetis; sed mementote quandiu hic vivitis, sine maculis vitiatorum esse nequaquam potestis. Unde et Joannes, quem præcipue Dominus amavit, in Epistola sua ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Joan. 1, 8). Ne ergo vasa Dei rubigo delictorum consumat, necesse est ut manus hæc sanctæ prædicationis quotidie tergat: quod videlicet emundationis officium mihi omnium servorum Dei indigno creditum fuisse nemo vestrum ignorat. Sed quaeso, ne vos hominici foeditas offendat, dummodo qualibet occasione, de cordibus vestris peccatorum sordes abstergat. Lectionem itaque sancti Evangelii, qua Dominus noster coram tribus discipulis in monte transfiguratus perhibetur, exponendam assumo, et ejus, prout possum, secretorum arcana discussio; non quo et ante me enodata non fuerit, sed quo aliquid de ea quod necdum fuerit dictum, mihi ad dicendum fuerit reservatum. Sicut igitur nunc vestra fraternitas audivit, priusquam Redemptor noster transfigurandus montem ascenderet, dixit ad apostolos: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo* (Matth. xvi, 28). Quod quidam tractatorum de statu Ecclesiæ post modicum futuro dictum intellexit. Sed sequens lectionis decursus declarat hoc Dominum de sua transformatione dixisse, cum Evangelista subjunxit:

2. Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos (Matth. xvii, 1). Certe hi sunt tres apostoli, quos dixit non gustaturos mortem, donec eum viderent in gloria transformatum, in qua tamen ejus transformatione demonstratum est, qualis in cælesti patria futura sit sanctorum Ecclesia. Sed primum nobis quærendum est quid sit quod prædictam Salvatoris transfigurationem Matthæus post sex dies, Lucas vero post octo factam perhibuit. Nunquidnam horum quilibet a veritate dissentit, dum sibi invicem quasi neuter consentit? Sed sciendum nobis est, quia et Matthæus, dierum facta mentione, a toto totum, et Lucas a toto partem expressit. Vespera enim diei erat, quando ista Dominus locutus est, quam utique Matthæus minime tetigit. Lucas vero pro tota die computavit. Mane autem fuit quando idem in monte transfiguratus est, quod sicut Matthæus ex toto reliquit, sic Lucas pro toto assumpsit. Matthæus ergo totum a toto significans, solos in medio sex dies integros inseruit; Lucas vero a parte totum ostendens, et vesperam primi et mane octavi diei supputavit; ubi tropus magnæ locutionis intelligitur, qui Græca locutione synecdochen appellatur, quod Latine dici potest, vel a parte totum, vel rursus pars a toto, quique per sacras paginas frequenti inculcatione plurimas absolvit quæstiones, juxta quem etiam illa præcipue reseratur, qua Dominus cæli tribus diebus et tribus noctibus in sepulcro jacuisse declaratur, cum manifestum sit quod sexta feria inclinata jam die, hora videlicet nona, spiritum emiseric, et Dominica ante lucem surrexerit.

3. Quærendum etiam cur tantum cum tribus discipulis oraturus montem ascendit, tribus tantum gloriam suæ majestatis illo in tempore manifestavit. Nunquidnam sine causa factum fuisse putabitur, ut alios tunc apostolos mysteria suæ revelationis celeret, quibus eum dixisse auctoritas sancta testatur: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* (Luc. viii, 10)? Et rursus: *Omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis* (Joan. xv, 15). Concedamus igitur quod primates, quod columnæ erant inter cæteros apostolos, sicut Paulus dicit, Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, et idcirco magis illis quam aliis secreta sua Dominus revelavit: quibus etiam solis moestitiam cordis de Judæ vel Judæorum prodicione, quæ illius imminente passione mox futura erat, seorsum aperuit. Nunquid tamen propterea mysterium latens hoc in facto aliquis defuisse putabit? Nequaquam igitur sine præfigurationis sacramento ad tantam Redemptoris gloriam intuen-

dam, solus Petrus, Jacobus, et Joannes assumitur. **A** Petrus tanquam a Petra vocabulum sumpsit, *Petra autem erat Christus*, ut Apostolus edocuit Paulus. Huic Petræ Petrus dicit: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth. xvi, 16*); quibus nimirum verbis, totius Ecclesiæ fides effertur, et quam convenienter Petra Petro respondit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Ibid. 18*); aperte videlicet dicens: Super me ædificabo te, qui figuram geris ejus Ecclesiæ, quæ in te ædificatur super me. Unde cum idem beatus Petrus, testimonio utens prophético, diceret: *Ecce pono in Sion lapidem angularem summum pretiosissimum in fundamento fundatum*, illico adjunxit: *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales* (*II Petr. ii, 6*). Hinc et Paulus cum diceret: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, continuo subjecit: *unusquisque autem videat quomodo superædificet* (*II Cor. iii, 11*). Cum ergo dictum est: super hoc fundamentum Petrus ædificando ponitur, nimirum omnis Ecclesia super Christum construenda locatur. Jacobus vero in nostram vertitur linguam *supplantator*. *Supplantator* autem quorum? nisi vitiorum; et nos certe in Jacobi persona vitia supplantamus, cum primogenita virtutum, per sacra orationum studia vindicamus. De hac vitiorum supplantatione Psalmista loquitur dicens: *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal. cxxxvi, 9*). Joannes autem interpretatur *columba*, per quem sine dubio illi figurantur, qui intra sanctam Ecclesiam Dei et proximi amore flammantur. Per columbam etenim Spiritus sanctus designatur, qui Patris et Filii charitas esse probatur, et scriptum est: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom. v, 5*). Ergo fides in Petro, operatio virtutum in Jacobo, charitas vero in Joanne monstratur apostolo. Quamobrem non inconvenienter hi tantum modo tres in monte cum Domino ascendunt, qui figuram omnium sanctorum in suis personis gerunt. Sed jam ipsius lectionis verba ponentes, singula disseramus.

4. *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum; et transfiguratus est ante illos* (*Matth. xvii, 1*). **D** Omnis igitur qui transfiguratur, in alteram figuram mutatur. Unde et Lucas hoc ipsum exprimens ait: *Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera* (*Luc. ix, 29*). Ubi prorsus cavenda est hæreticorum insania, qui putant post diem judicii humana corpora in alteram posse converti naturam. Et certe idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui secundum Apostolum reformavit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, post resurrectionem suam in conclavi discipulis apparens, dicit: *Palpate, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc. xxiv, 39*). In quibus verbis, quid aliud datur intelligi, nisi quia et alterius gloriæ, et non alterius naturæ corpus

erat quod et palpandum præbebat, et januis clavis in vera carne, verisque ossibus introducebat? Quod ergo dicitur: *Transfiguratus est* (*Matth. xvii, 2*), hoc est in alteram figuram mutatus, non est naturæ, sed gloriæ; uade et protinus subinfertur:

5. *Et resplenduit facies ejus sicut sol* (*Ibid.*). Hæc certe altera figura, hæc vultus species altera, ut qui erat in carne conspicuus, subito apparet in majestate coruscus. Quid autem mirum si hoc de tanta subito in corpore coruscante dicitur majestate, cum nos quotidie de quolibet dicere soleamus, cum eum vel post sordes ablutum vel post mœstitiam lætum aspiciamus. Non est ipse qui erat, alius est quam erat. Et notandum quod glorificationem Redemptoris oratio præcessit, qui, ut Lucas ait, propterea in montem ascendit, ut oraret; quatenus scilicet per hoc factum ostenderet, omnibus qui ad ejus pertinent intuendam majestatem indesinenter esse orandum, nec in imis, sed in monte sæper orandum. Quod nimirum illi continue possunt, qui nullis terrenis desideriis per oblectamenta vitiorum succumbunt; sed in superna amore defixi, cœlestia respiciant. Unde et Paulus pressurarum vinculis colligatus dicebat: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Phil. iii, 20*). Quod etiam aliis in locis exemplo suo Dominus nos admonet, qui cum nullam in die vel ad manducandum quietem haberet, in monte etiam fatigatus pernoctabat: quo nimirum in facto si licentia tribuatur, et ipsa exterior solitudo ad orandum inquirenda docetur, ut eo familiaris quis Deum *interpellet*, quo nullus hunc hominum tumultus circumegit. Sed quid nos miseri, quid ad hæc sumus dicturi, qui innumeris delictorum ponderibus gravati, primum vespertinæ lucubrationis tempus somno prævenimus. Si Deus ac Dominus noster sine peccato conceptus, et natus sine peccato usque ad indebitam mortem perductus, quibusdam noctibus parvum, quibusdam nec modicum sibi somnium indulisit, sique peccatoribus in se præbens exemplum, crebris suspiriis atque gemitiibus sæpius genua flectens, plenas lacrymis vigiliis noctis peregit, tanquam et ipse mortalium vitiorum obnoxius esset, et quamquam mirum non easset, si id ageret pro nobis, qui mori venerat pro nobis. Peccata enim nostra portabat, et ideo Patrem quasi peccator interpellabat, tamen exemplum imitationis in se præbebat, quo disceremus et ipsi Patrem interpellare cum illo pro nobis, nec a precibus cessandum, cum etiam nunc usque, idem vultui Dei apparens, interpellat pro nobis. Discutiamus ergo torporis ignaviam, et ad tantum Redemptoris imitandum exemplum, saltem illud nos provocet, quo idem ipse nullis, ut diximus, propriis interpellantibus vitiis, imminente sua beata passione, crebrius orans atque prolixius, ita certavit, ut pro sudore carnis, guttas proflueret sanguinis. *Factus est, inquit Evangelista, in agonia, et prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut sanguinis decurrentis in terram* (*Luc. xxii, 44*). Ne igitur, inertia suadente, negligentiores erga sacras vigiliis et orationes existamus, hæc, fra-

tres charissimi, semper ad memoriam revocemus. A Appendendus certe tam validus labor, quo tentationis introitus clauditur, omnisque malorum incursus vitatur. *Orate*, inquit Dominus, *ne intretis in tentationem* (*Ibid.* 46). Et rursus: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis* (*Luc.* xxi, 36). Rursusque: *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* xviii, 1).

6. Cum autem de sanctis scriptum noverimus: *Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum* (*Sap.* iii, 7); quomodo hoc loco facies Christi solis claritati comparatur? aut nunquid tantum, quod nefas est dicere, in regno Patris iusti claritatem habebunt, quantum habet is qui illos iustificavit? quis hoc nisi hæreticus dixerit? quod quatuor ex causis factum fuisse mihi videtur, scilicet vel quia adhuc mortalis erat, et ipsa carnis mortalitas claritatem divinitatis ejus, ut erat, ostendere non sinebat, vel quia ante videntium oculos, ut intueri posset, ipsam fulgoris sui magnitudinem temperabat, vel etiam formam illam tantummodo prætendebat, quam in die iudicii et electis et reprobis ostensurum se esse præsciebat, vel certe, ut verius atque salubrius, quia figura membrorum suorum qualia, ut dictum est, in futuro fulgebunt, in sua claritate monstrabat. Sequitur:

7. *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (*Matth.* xvii, 2). Claritas ista, fratres, quæ foras per vestimenta Christi manavit, ab illa ejus interiore luce processit, quam nullus humani generis corporeus oculus intueri potest, sicut scriptum est: *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* iv, 12); et rursus: *Non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* xxxiii, 20); quamque, sicut ipsa se videt, nec ipsam angeli cernunt, qui eam quotidie, prout illis datum est, cernunt. Ipsi enim, sicut utrumque sacra Scriptura testatur, et faciem Patris quotidie cernunt, et ut cernere possint concupiscunt. Magna certe vis, magnaque lucis interioris potentia, quæ tantam lucem profudit exterius, ut ipsis etiam vestibus gloriam tribueret coruscæ majestatis. Ab illa luce, dilectissimi nobis, ab illa illuminantur cuncta quæ lucent, sol videlicet exterius, luna atque stellæ; angeli vero interius atque animæ humanæ. Miramur itaque Dominum in monte solis claritate fulgentem exterius; miremur potius hunc divinitate micantem interius. Venemur talem qualis in monte coram tribus discipulis apparuit, desideremus talem qualis in cœlo cunctis mundis cordibus apparebit. Et revera qualis in monte foris apparuit, talem hunc in futurum et ipsi impii videbunt; sed talem qualis intus permansit, non nisi beati videbunt.

8. Potest autem per vestimenta Redemptoris nostri nivis candore fulgentia, exprimi justorum Ecclesiam, non qualis nunc est, quia hic sine peccato non est, sed qualis in futurum erit, quando jam peccare non poterit. Ut scilicet per nivis claritatem, et munditiæ claritas designetur, et vitiorum

A calor funditus abolendus monstratur. Nix enim et candorem nivium habet, et calorem omnino non recipit. Sic sic electis Dei, sic quandoque continget his qui pervenerint ad claritatem Dei, obtinebunt munditiæ candorem, nullumque sentient aliquando de carnis corruptione calorem. Sequitur.

9. *Et ecce apparuit eis Moyses et Elias cum eo loquentes* (*Matth.* xvii, 3). Quidam putant Moysen cum Elia novissimum prævenire Christi adventum, pro eo quod in hac ejus transfiguratione uterque apparuit. Sed alii melius intellexerunt, qui Enoch cum Elia venturum dixerunt, ut illi tunc pro Christo morituri adveniant, qui necdum in carnis mortis debitum exsolverunt. Sicut Enoch, qui, ut Apostolus docet, translatus est, ne mortem videret, et Elias ad cœlum elevatus, ut in quadam terræ regione inde submissus, usque ad illud tempus vivus permaneret. Neque enim propterea Moyses cum Elia in illa glorificatione apparuit, ut cum illo passurus adveniat, sed ut Evangelium æternæ salutis testimonium habeat a lege et prophetis. Ecce enim quadraginta diebus Moyses, quadraginta Elias jejunavit, quadraginta et Dominus. Sed quia non est mirandum in Domino quod præcessit quolibet in famulo, videamus utrumne magnum lateat sacramentum in hoc quadragenario dierum numero. Nunquid enim difficile videbatur Domino ad centum vel mille dies extendere jejunium, qui dederat servis ut quadraginta transirent sine corporalis cibi stipendio? Quis ergo non offendit in facto plus se posse jejunare quam servus, nisi quia per eundem dierum numerum, non tam virtutis miraculum, quam virtutis exprimitur sacramentum? Quis igitur nesciat geminam esse legem Mosaicam, atque in spiritali decalogo simul et victimarum obsequio subdistinctam? quia enim gemina sit legalis præceptio, hinc maxime claret, cum et ex uno perfici videtur et ex altero nequaquam perficitur. David quippe Domino dicit: *Viam mandatorum tuorum ecurri* (*Ps.* cxviii, 32). Et rursus: *A mandatis tuis non declinavi* (*Ibid.* 457). Ecce adimpletio legis, sed nimirum decalogi spiritalibus, secundum quod et Apostolus dicit: *Lex sancta, et mandatum ejus sanctum, et justum, et bonum secundum quod et qui fecerit ea vivet in eis* (*Rom.* vii, 12). Petrus e contra ait: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus aliquando* (*Act.* xv, 10)? Ecce diminutio legis, sed utique obserqui carnalis, juxta quod et illud dicitur: *Dedi eis præcepta non bona, in quibus non vivunt*. Et illud Apostoli: *Neminem ad perfectum adduxit lex* (*Heb.* vii, 19). Sciendum etiam quia ex ea parte qua spiritalis est lex et observari potest, in decem videlicet præceptis, cum plenitudo temporis advenit, ad Novum Testamentum custodienda transivit. Ex ea vero qua carnalis est et portari non potest, in victimarum scilicet obsequiis, inoriente in cruce Domino, observationem amisit. Quapropter si in decalogi mandatis spiritalis est lex,

in victimarum quoque obsequiis carnalis, hinc sacratum jejunium, illinc crapulatum ostendit convivium. Nos vero quia jam carnalium victimarum ingluviem ex toto respicimus, superest ut de spiritualis legis jejunio aliquid loquamur.

10. Quid enim aliud est dicere, Non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non ovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt, nisi quoddam animæ jejunium imponere? Annon vere jejunit, qui ut bonis inhæreat, a malis declinat? Sed ut hoc decalogi jejunium in quadragenarium surgat, oportet ut a longe Novi Testamenti jussa præstolans, quandoque ad Evangelium currat. Veniat ergo Moyses et Elias ad Dominum tanquam lex et prophetia ad Evangelium, fiat decalogum quatenatum, concludat intra sæ prædicationis ambitum totum per quartuor cardines cæli in electis orbem terrarum, et in utroque Testamento a principio usque ad finem quadraginta dierum jejunium appareat consecratum. Ille etenim quadraginta diebus mystice jejunit, qui per quatuor sancti Evangelii libros spiritualiter legem observat, qui in diligendo Deo et proximo charitatis jura conservat. Unde scriptum est: *Plenitudo legis est dilectio* (Rom. xii, 10). Huic et Dominus cum in Evangelio diceret: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. Hoc est, inquit, primum et maximum mandatum in lege, secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum*, continuo subjecit: *In his duobus præceptis tota lex pendet et prophete* (Math. xxii, 37). Custodit vero hæc duo summa atque præcipua mandata, quisquis totum abhorret quod animam inducit ad carnis desideria, quia, ut Joannes ait: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in illo, quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (I Joan. ii, 15). Bene ergo Dominus in sua transformatione Moysen et Eliam exhibuit, quos ob significandum gratiam rei futuræ in jejunando sibi similes fecit, quatenus scilicet utriusque Testamenti facta concordia, juxta præmissam intelligentiæ regulam, ostenderet omnes ad vitam præordinatos, in hac peregrinationis ærumna quadraginta dierum jejunium per breviarium legis, quo gemina atque evangelica demonstraretur dilectio, semper observare debere, quæ utique et bonis indesinenter inhærerere, et a malis omni tempore facit declinare.

11. Sed nec illud silentio prætereundum existimo quod in eremo Moyses, in eremo Elias, in eremo jejunit et Dominus, per quod nimirum hujus vitæ peregrinatio designatur, in qua, sicut beatus Job indicat, vita hominis tentatio esse probatur. Inde est quod in eremo aquæ amaræ et igniti sunt serpentes. Inde quod filii Israel post tempus quadraginta annorum, tanquam quadraginta dierum, in

solitudine peractum jejunium, ad terram lacte et melle manantem perveniunt. Inde quod nos quoque quadraginta diebus ante resurrectionem in abstinentia custoditis, ad jubilæum, qui est annus remissionis plenusque jucunditatis, pertingimus.

12. Sed libet intueri quid significant in deserto aquæ amaræ, quidve serpentes igniti: primumque non inconvenienter æstimare possumus, quia sicut manna illud quo plebs Judaica vescebatur, ut sancta testatur auctoritas, non unum eundemque saporem comedentibus præstitit, atque hoc alii ad salutis incrementum, alii vero ad salutis dispendium; sic etiam illæ aquæ aliis exstiterunt dulces, atque aliis amaræ: quarum videlicet amaritudinem illi nequaquam senserunt qui salutaris ligni remedia intelligere poterunt, illi autem senserunt qui sine fide aquam tantum hauserunt. Sic quoque hi tantum a serpentum morsibus sanari potuerunt qui serpentem æneum aspicientes, mysterium fidentius attenderunt, sacra Scriptura pronuntiante, quod non per hoc quisque qui videbat sanabatur: ac si aperte diceretur, non per hoc quod foris juxta litteram patebat, sed per illud quod intus in sacramento latebat. Quid ergo significant aquæ amaræ, nisi adversitates hujus sæculi? de quibus nimirum solus ille indebite gustavit, qui ut in dexteram Patris sedens regnaret, de torrente in via bibit. Inde est quod felle cibatus, inde quod acetopotatus, inde quod pius conditor et sitiit quod amarum est, et amarum gustans ait: *Consummatum est* (Joan. xix, 30). Unde autem aquæ amaræ in dulcedine versæ, nisi ex admistione salutaris ligni. Denique cum inmuraret populus Israel propter aquæ amaritudinem, clamavit Moyses ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ipsum profecto est lignum vitæ in paradiso Dei, ipsum quod plantatum est secus decursus aquarum, Dominus videlicet Jesus Christus Deus et homo perfectus, de quo etiam Salomon dicit: *Beatus homo qui invenit sapientiam, lignum vitæ est his qui apprehendent eam, et qui tenuerit eam beatus* (Prov. iii, 18). Misso igitur ligno in aquas amaras, mox in dulcedinem vertitur quidquid amaritudinis habere videbatur; quia videlicet dum nostris tribulationibus passio beati Mediatoris permiscetur, pondus gravitatis earum levatur. Sed sciendum quia juxta præmissam parvitatis nostræ intelligentiam aliis amaræ perseverant, aliis dulcedinem aquæ subministrant; hinc est quod unum eundem passionis calicem alii appetunt, alii refugiunt. Appetunt scilicet quibus amaritudo illius dulcis est: refugiunt vero quibus amara displicent; appetunt qui angustum iter carpunt; refugiunt, qui lata et spatiosa mundi itinera voluptuose percurreunt. Solus enim ille amaritudinem aquæ non sentit, qui dulcedinem ligni in aquæ rotationem ab intimis trahit, et præ illius dulcedine quod immititur, hujusquæ inerat amaritudo non sentitur: quia videlicet qui plene degustat, quæ et quanta intra secretum crucis dulcedo lateat, cuncta quæ cruci adjacent, etiam amara, dulcia putat. Unde et sacra Scriptura

pronuntiat : *Animæ esurienti etiam amara dulcia videntur* (Prov. xxvii, 7). Quis enim tam ingratus, qui etsi non aperto martyrio, saltem occulto, non libenter sequatur crucis magistrum, cum scriptum retineat : *Si non compatimur, nec conregnabimus* (II Tim. ii, 12), et Petrus admoneat : *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus* (II Petr. ii, 21). Tales quippe apud Hebræos invenerat Paulus, quibus dicebat : *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (Heb. xii, 2). Tales et illos fieri cupiebat, quibus ut amaritudinem passionis in dulcedinem verteret, loquebatur dicens : *Scientes quia sicut socii passionum estis, sic et consolationis eritis* (II Cor. i, 7). Sed nos ista dicentes, debemus inter utraque Testamenta distinguere, et qualiter ibi amaræ, hic autem dulces exstiterint aquæ videre. Amaræ siquidem fuerant aquæ illis de quibus Moyses dicebat : *Oderant filios Israel Egyptii, et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur* (Exod. i, 12). Amaræ et illis ex quorum persona Jeremias sub typo mulieris loquebatur dicens : *Venter meus conturbatus est, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum* (Thren. i, 20). Et sursum : *Circumdedit me felle et labore* (Thren. iii, 15). Rursumque : *Repl. vit me amaritudinibus, et inebriavit me absynthio* (Ibid. xv). Sed jam per admisionem ligni salutaris in dulcedinem illis conversæ, de quibus Lucas testimonium perhibebat dicens : *Ibant autem apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine ejus contumeliam pati* (Act. v, 41). Amaræ exstiterant et ipsi Moysi, cum mæstus conquereretur : *Cur, inquit, Domine, afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, ut inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis* (Exod. xvii, 4). Rursumque : *Pusillum et lapidabunt me*. Amaræ fuerant et Eliæ, cum persecutiones Jezabelis per deserta fugiens, vique patiens clamaret : *Sufficit mihi, Domine; tolle, quæso, animam meam, neque enim melior sum quam patres mei* (III Reg. xix, 4). Sed per admisionem ligni remedialis jam Paulo in dulcedinem versæ, cum idem fidelibus diceret : *Qui nunc gaudeo in tribulationibus pro vobis* (Rom. v, 3). Et rursum : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (Phil. i, 21). Rursumque : *Ego autem non solum alligari, sed et mori paratus sum in Jerusalem pro nomine Domini Jesu* (Act. xxi, 15).

13. Est autem hic de aquis amaris et alius sensus frequenter a majoribus nostris inculcatus, quarum videlicet amaritudo jure refertur in circumcisionis in carne dolorem, ac pro reatibus vindictæ retributionem. Sed aquæ amaritudinem ligni salubritas in dulcedinem vertit, quia profecto Redemptor noster inde-

bitam sibi legis severitatem in se suscipiens, legem implens, simul et decretis evacuans, totum quod in ejus præceptis asperum erat, in lenitatis Novi Testamenti gratiam commutavit. Quid quoque designant igitur serpentes, nisi antiqui hostis mortiferas suggestiones? cui profecto sententiæ Paulus concinit dicens : *Assumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere* (Eph. vi, 16). Ad quod maxime, imo tantum illud proficit, quod percussus ne moriantur, æneum serpentem aspiceri jubentur. Quo videlicet in facto, non nostra titubant, sed Domini expositio tractantis sententiam firmat. Ait enim : *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (Luc. xix, 14). Ecce enim suggestit occultus adversarius quodlibet in mente facinus; consensisti, serpens momordit te: sed ne funditus extinguaris, aspice serpentem æneum, hoc est in cruce pendentem Dominum, cujus nimirum passio dum bene consideratur, omnia in nobis vitorum mala extinguere probatur. Bene autem consideratur, dum ipsa pro viribus imitari conatur. Incipe igitur passionem Christi imitari velle, et nullum erit mortale crimen quod te possit extinguere. Et cum Paulus dicat : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiiis et concupiscentiis* (Gal. v, 24). Quæ rogo, oblectamenta peccati talibus poterunt subripere? Qui enim crucifixus est, utique præ dolore ipsius mortis imminentis morsum non sentit venenati serpentis. Da mihi quemlibet mortuum, qui sentire possit colubri morsum. Et certe idem egregius prædicator fidelibus dicit : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Col. iii, 3).

14. Ecce, ut quam breviter intimare potuimus, quare Dominus Moysen et Eliam in transfiguratione exhibuit, quos in mysterio jejunii socios atque concordem famulos habuit. Quam bene etiam congruit quod Petri et Joannis aspectibus Moysen et Eliam ingressit, ut scilicet, Veteris ac Novi Testamenti facta concordia, alitrusecum semet vel in facto, vel in mysterio binæ respectarent personæ. Moyses enim ut ad manna vescendum transiret, mare dividit; Petrus vero, ut ad Christum, qui verum cœlestique est manna, perveniret, super mare ambulavit; Eliæ vero ut superiora peteret, in curru igneo ascendit; Joannes vero ut secreta Verbi penetraret, in flammeo Christi pectore recubuit. Quid autem facimus de Jacobo? nunquid ab hac eum concordia dividimus, et minorem Petro vel Joanne in præfiguratione judicamus, quem Moysi et Eliæ personis ex alia ratione congruere probamus? Jacob enim, ut diximus, supplantator interpretatur, quod omnino Moysi et Eliæ satis convenire probatur: quorum unus insidiantem Hebræo Ægyptium clancule interficiens, sabulo abscondit: alter vero Baal deludens, prophetas in torrente mactavit: quæ cuncta ad extinctionem vitorum pertinere Patrum auctoritas demonstravit. Sed videmus, si possumus, quæ sunt verba legislatoris et

prophetae ad Dominum utrorumque, quod temere A forsitan, imo certe vanus praesumptor autumare vellem, nisi quænam illa essent ab alio evangelista didicissem.

15. *Ecce, inquit, duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyses et Elias, et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem (Luc. ix, 31).* Quem excessum, nisi pro mundi vita indebitum passionis tormentum, quod quidem jam inchoaverat, sed necdum compleverat, quia et miseras nostras pati jam coeperat, et tamen ad crucis supplicium nondum accesserat. Ut enim hinc detur intelligi quod verba eorum quæ nunc apud illum fuerunt, talia erant: Venisti, qui mittendus eras, natus de Virgine, crevisti, esaristi, sibilisti, lassatus sedisti; sed necdum inter supplicia spiritum tradidisti. Inchoasti ergo, sed nondum compleasti, quod tunc perfecte complebis, cum pius conditor in cruce pependerit. Potest autem hoc ita dictum intelligenti, ut idem excessus in prophetis coeperit, sed nequaquam in illis completus, in Domino prophetarum esse complendus. Unde et ipse Dominus ad Judæos dicit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum (Matth. xxiii, 32)*, ac si aperte diceret: Illi prophetas occiderunt, sed non erat plena mensura; vos occidite Dominum prophetarum, et plena erit mensura patrum vestrorum. Omnes enim justorum passiones in Domini sui complentur passione. Ubi autem hunc completurus esset excessum, nisi in Jerusalem? quia ipse ait: *Non oportet prophetam perire extra Jerusalem (Luc. xiii, 33).* O misera, o damnanda Jerusalem, quæ sola ad tantum damnationis culmen pervenisti, ut nullus prophetarum extra te sanguinem funderet, nullusque innoxius in terra esset sanguis effusus, qui non super te veniret, a sanguine Abel justus usque ad sanguinem Zachariæ, filii Baruchæ, quem tu, cruenta bestia, inter templum et altare conculcasti (Matth. xxii, 35), propter illum scilicet quem ante faciem Pilati super te tuamque progeniem venturum expostulasti: *Sanguis, inquit, hujus super nos et super filios nostros (Matth. xxvii, 25).* Sed quantum bonum hoc tuo maximo nefandissimoque scelere mundo procuraveris, unus tuorum nesciens et prophetæus clamat: *Expediit ut unus moriatur pro populo; ne tota gens pereat (Joan. xviii, 14).* Sequitur:

16. *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum (Matth. xvii, 4).* Obsecro, beate Petre apostole, ne tibi displiceat humillimi servi reprehendentis auctoritas, dummodo nulla sit in reprehendente servilis temeritas. Hoc enim a te humilitate libera quæro, quod alios jam ante quæsiisse invenio. Dic ergo, quæso te, propterea in montem assumptus es, ut sicut tabernaculis Dominum possideas solus cum paucis? an ideo ut visa gloria corporis ejus, cum post paululum ventum fuerit ad vincula, ad flagella, ad sputa, ad alapas, ad crucis tormenta, ad sepulturam, nequaquam hunc Deum esse, vel hominem Deum plenum,

tuumque magistrum abneges? Bene quod tibi tantum nunc placet subito glorificata facies Christi, ut de monte nolis descendere: sed exspecta paululum, certe oblitus talia, ante vile mancipium hunc te scire negabis, cum hora illa propinquaverit, ut illud impleatur, quod de eo per prophetam dicitur: *Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum (Isa. lvi, 2).* Dicere quin potius debueras: Domine, accelera tempus quo cuncta quæ de te scripta sunt compleantur, et sic in gloriam tuam transiens, ostende mihi, non qualis nunc es, faciem tuam; sed præbe talem sicuti es. Sed indulgentiam concedendum est tibi: somnum pateris, cum talia dicis. Sic enim de te tuisque sociis evangelista loquitur, dicens: *Petrus vero et qui cum illo, gravati erant somno (Luc. ix, 32)*, somno videlicet, non carnis, sed mentis. Unde et tui tuorumque sociorum oblitus, de Domino, Moysæ atque Eliæ eras sollicitus: *Faciamus, inquit, hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Ecce enim Dominus claritate solis emicat, Moysen et Eliam lucida nubes obumbrat; quibus ergo opus est tabernaculum, vobis quibus nihil horum contingit, an illis quibus tale munus provenit? Quid igitur de te ac tuis contubernalibus cogitas? An forte binos per singula vis sociare tabernacula, ut illi sint domini, vos in singulis tabernaculis dominorum servi? Quis ergo vestrum erit Domini servus? quis Moysi? quis Eliæ? *Tolerabilis quippe fuerat dixisse: Domine, faciamus hic unum tabernaculum, ut Moyses et Elias, ego, Jacobus et Joannes, tibi in uno tabernaculo serviamus.*

17. Sed nos, fratres charissimi, sicut in hoc dicto ignorantiam Petri non sequimur, sic præcipuum amorem illius erga Dominum veneremur, quem sæpissime apertis indicis idem validissimus dilectionis ejus exsecutor intus celare non valens, foris ostendit. Inde est quod ipsi Domino duodecim interroganti: *Quem me esse dicitis?* primus respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi (Matth. x, 15).* Inde quod magistrum non vult pati, sed passionem denuntiantem redarguit dicens: *Abiit a te, Domine, non festinasti (Ibid. xxi).* Inde quod imminente hora ejusdem Domini passionis, ipso dicente: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte (Matth. xxvi, 31)*; cum alii turbarentur, intrepidus iste respondit: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor (Ibid. xxxiii).* Rursum quo etiam. *Si me oportuerit mori tecum, non te negabo (Ibid. lvi).* Inde quod illo jam comprehenso, gladium educit, persecutorisque auriculam in incertum ictum dirigens abscedit. Inde quod in navicula positus, viso in littore Christo, ut primus omnium ad illum veniat, secundo senect fluctibus immergit. Quod probans Dominus cum resurrexisset a mortuis, sciens quid interrogaret, dixit: *Simon Joannis, ailligis plus his? Et ille: Domine, inquit, tu scis quis amo te (Joan. xxi, 15).* Ille dilectione quamquam, ut

evangelista loquitur, nesciens quid dicat, visa vultus Domini claritate, vult in monte manere, et nec ad momentum descendere. Respuit gloriam sæculi, totum quod in mundo blanditur contemnit, sola ei claritate solis emicans Christi facies placet. Quid putamus? quomodo placeret, si talem tunc posset intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit exutus mortalitate. Certè non solum subterjacentem terram, sed et ipsum super se cælum contemneret, tantum ut in monte cum Domino in perpetuum maneret. Sed descendendum est Petro de monte, sequendus est interim Dominus pauper, imitandus a Petro ille qui dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidus: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (Matth. viii, 20). Imitandus in crucis tormento, insuper verso sursum crucis vestigio, et sic æternaliter intuenda facies Christi, sine ullo temporali defectu: quod nec ipse beatus tunc Petrus abnuit, qui etsi cum Domino in monte manere voluit, tamen de figendis tabernaculis voluntatem ejus quæsiuit. Sic enim dixit: *Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula*, ubi consequens intellectus est: Si non vis, non faciamus. Si ergo vis, maneamus; si non vis manere, descendamus. Sequitur:

48. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (Matth. xvii, 5). Age, beate Petre, ablata est cura figendorum tabernaculorum, recessit Moyses, recessit Elias, quibus tabernacula facere volebas. Servi erant; non domini; venerant non ut juberent, sed ut audientes justa complerent. Hic solus qui remansit est Dominus, hic solus quem estis secuti, dilectus est Filius. In hoc solo Patri bene complacuit. Et quidem potuit Moyses dici filius Dei, potuit et Elias. Fuit certe Moyses Deo dilectus, fuit et Elias, complacuit Deo in Moysen, complacuit et in Elia. Ad hujus tamen comparationem, qui natus est ex substantia Patris, nec Moyses filius, nec Elias; nec Moyses Deo dilectus, nec Elias; nec Moyses acceptus, nec Elias; sed ut paterna vox edocuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Non ergo Moysen, non Eliam, sed ipsum audite. Jussit quippe Moyses fieri tabernacula, sed Christus jubet ædificari Ecclesiam. Ipsum ergo audi, venerabilis Petre, qui te non tabernaculorum fictorem, sed ovium suarum constituit pastorem. Quid autem putamus, fratres, exprimi per nubem lucidam, nisi Novi Testamenti gratiam, et quidem ante adventum Mediatoris, ut scriptum est, tenebrosa erat aqua in nubibus aeris, hoc est obscura verborum scientia in lege atque prophetis: sed jam Novi Testamenti doctrina non est in nube tenebrosa, sed per nubem lucidam tonans paterna voce perspicua. Et notandum quod nubes lucida Moysen et Eliam tenet et obumbrat, aufert et occultat. Et cum Moysen et Eliam teneat et occultet, non tamen jam Moyses et Elias de nube sonant, in qua latent. Sed solus Pater per nubem loquitur. Sola nubes lucida paternam vo-

cem exprimit. Sic sic Novi Testamenti gratia legem et prophetiam obumbrat et conservat, occultat et tenet. Obumbrat scilicet in littera, conservat in spiritu. Occultat in figuris, tenet in mysteriis: sicque sit ut quidquid lex et prophetia loquitur, quanquam spiritualiter observandum, recipiatur. O quam multa de futura Novi Testamenti gratia ante adventum Redemptoris in carne, cum tenebrosa esset aqua in nubibus aeris, locuta est lex et prophetia. At ubi ventum est ad nubem lucidam, ubi nubes lucida Moysen obumbrat, et Eliam, silet Moyses, tacet Elias. Per solam nubem lucidam paterna vox insonat: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*.

49. *Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas super terram et timuerunt valde: levantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum Jesum* (Matth. xvii, 6). Vox illa quæ aures discipulorum percussit, sive per semetipsum, sive per angelicam creaturam elementum nubis Dominus commoverit; tamen per nubem sonuit. Quia vero de nube processit, quæ discipulos in terram ita constravit, in modum tonitruum facta fuit, sicut tunc quando imminente passionis idem Filius ad Patrem dixit: *Nunc anima mea turbata est, et quid dicam, Pater? Salvifica me ex hac hora; sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica tuum nomen. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, et iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum factum esse* (Joan. xi, 27). Sed quid est quod ibi tonitruum audiens, turba non cadit, hic autem discipuli in faciem cadunt, nisi quia ibi superbia, hic autem humilitas pavet? nec sine causa pavet, quæ præmium tanti pavoris accepit. Unde et Dominus protinus accedit, discipulos tangit, ut surgant imperat, ne timeant jubet: quæ tamen clarismata aliquid nobis spiritualis gratiæ innuunt. Ac si aperte Dominus discipulis dicat: Timendum erat, si Moysen audiendum vox clamaret; si Eliam imitandum moneret, quorum unus viginti tria millia peccantium una die interfecit, nec pepercit; alter Baal prophetas sine ulla miseratione jugulavit, duosque quinquagenarios cum quinquaginta suis, centum scilicet viros, cælesti incendio concremavit. At quæ ego audiendus prædicor, qui publicanum in templo confitentem justifico, qui apostolum negantem recipio, qui meretricem lapidandam libero, qui latronem in cruce pœnitentem sanctifico: cur pavetis insolito? Sit itaque in lege pavor, in Evangelio amor. Timor enim non est in charitate, sed perfecta charitas foris mittit timorem (I Joan. iv, 18). Sequitur:

20. *Et descenditibus de monte, præcepit eis Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat* (Luc. xvii, 8). Non statim ut Moyses et Elias de conspectu Domini et apostolorum sublatis sunt, de monte descenderunt; sed sicut alius evangelista narrat, eadem nocte ibi manserunt, atque in sequenti die turbis expectantibus, ad plana venerunt. Sed nescio, fratres, utrum noctem senserunt, qui talem lucem videre meruerunt: quæ etsi ab ocu-

lis carnis, ut erat corporea, sublata est; mansit tamen in cordibus, ubi nullum occasum incorporea passa est. Sic denique et Moyses beatus internam lucem intus conspiciens, quadraginta diebus et noctibus, non famem, non sitim, non tenebras sensit, tantumque lux afflata aspectum interioris hominis dilatavit, ut etiam illa videri posset, quæ antequam homo fieret, in principio Deus fecit. Ipsa illa lux est quæ in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt; ut quid hoc? quia dilexerunt homines magis tenebras quam lucem (Joan. III, 19). Hanc lucem persecutores Christi videre nequiverunt, et ideo ad necem illius cæci pervenerunt: Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I Cor. II, 8). Cognoscere autem illam poterant, si ad istius quæ in monte facta est, pervenire potuissent: quod si factum fuisset, Christus nobis quod natus fuerat nihil profuisset. Inde etiam vehementer discipulos comminatur, ne ante resurrectionem ejus ad cuiusquam notitiam hanc visionem perducant. Denique cum passio ejus pii Redemptoris in foribus adesset, audiens Pilatus ab eo Regnum meum non hinc (Joan. XVIII, 36).

A Et illud: (Qui est ex veritate, audit meam vocem (Ibid. 57), quibusdam iudiciis Filium Dei hunc esse existimans, toties sæpiusque vult eripere atque dimittere. Inde est quod eum flagellari jubet, veste porpurea circumdari, spinis coronari, ut hac ipsa derisionis plena visione Judæorum rabiem satiet, eosque ab ejus interfectione revocet. Qui igitur tam parvis verborum signis de ejus potentia sollicitus factus, tot tantisque argumentis vult illum dimittere, quid faceret, si scire posset, qualis in monte Corasii apparuit? Credo quia ipsam Caesaris potestatem quam pavet, pro nihilo duceret. Interdicat ergo pius Redemptor discipulis, ne eum qualem agnoscent, cuiquam prodant, ut incognitus despiciatur, comprehendatur, alligetur, flagelletur, conspuatur, colaphizetur, spinis coronetur, crucifigatur, moriatur, sepeliatur; sicque ovis perdita queratur, inveniatur, inventaque humeris pii pastoris imponatur, ut pastore a mortuis resurgente, ad cælum ovis inventa cum pastore feratur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. AMBROSII AUTPERTI

BENEVENTANI ABBATIS

VITA SS. PALDONIS, TASONIS ET TATONIS.

(Ex tomo VI Italie sacræ Ferdinandi Ughelli, apud Mabill. Act. SS. B. sæc. III.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Paulus Warnefridi, diaconus et monachus Casinensis, de his Actis eorumque auctore ita scribit in lib. VI de gestis Longob., cap. 40: *Monasterium B. Vincentii martyris quod juxta Vulturni fluminis fontem situm est, et nunc magna congregatione refulget, a tribus nobilibus fratribus, hæc est Tato, Taso et Paldo, jam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi Autberti ejusdem monasterii abbatis in volumine quod de hac re composuit, scripta significant.* De S. Autberto seu Autperto plura ad annum 778, quo decessisse fertur.

2. Carolus Magnus in diplomate suo *sanctos viros Paldonem, Tatonem et Tasonem* appellat. Sic etiam *Tatonem* pingunt nonnulli, et *Baldonem* auctor Vita S. Thomæ abbatis Fariensis.

3. Celeberrimum quondam fuit S. Vincentii monasterium, situm in provinciâ Samnio seu Benevento ad fontem Vulturni fluminis, duodecim fere millibus a Casino distans. In monasterii Vincentiani Chronico, cujus fragmenta varia edidit Andreas Chesnius tomo II Hist. Franc. plura referuntur com-

mendatione digna. Istic floruerunt post sanctos monasterii conditores *Autpertus et Josue*, abbates sanctissimi, hic sæculo IX quo etiam nonaginti monachi ejusdem cœnobii a Saracenis martyrio sunt affecti. Floruit etiam sæculo XI *venerabilis abbas Hilarius*, qui miracula patrisse mortuus dicitur. Idem cœnobium rexit *Nicolus de Fractura* decretorum doctor, ante monachus Casinensis, qui regulam S. P. Benedicti commentariis illustravit anno 1293. Istud monasterium, teste V. C. Angelo de Nuce abbas Casinensi in notis ad Chron. Casin., lib. I, cap. 4, *nunc undique solitudinem spirat et horrorem, omni monachorum cultu destitutum, abbati tantum commendatario commissum.*

4. S. P. Benedicti regulam monasterio ab origine impositam fuisse constat. Nulla tum monasteria condebantur, nisi ad hujus præscriptum. Autpertus infra num. 18 *regulam S. Patris* laudat, et Carolus Magnus in diplomate in Vita S. Autperti relato, necentiam concedit monachis Vincentianis *eligendi abbatem secundum regulam S. Benedicti.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Humani generis primus parens ad imaginem Dei factus, in paradiso voluptatis positus; ut vitæ præcepta servaret, ab ipsa vita quæ Deus est, fuit admonitus, et ne hanc pro minimo duceret mor-

tem est ei comminatus. Sed hæc ille contemnens sponte deseruit Creatorem, et secutus est peremptorem. Deus vero, qui mentiri, ut est veritas, non novit, morti quæ minatus eum addidit: dixerat enim